

BEATI ALVARI DEL PORTILLO Y DIEZ DE SOLLANO, EPISCOPI

Natus est Matrili in Hispania die 11 martii anno 1914. Doctorales laureas obtinuit in Ingeniaria Civili, in Philosophia et in Iure Canonico. Anno 1935 sese ascripsit Operi Dei et anno 1944 presbyter ordinatus est. In Concilio Vaticano II munere functus est Secretarii Commissionis “De disciplina cleri et populi christiani”. Primus fuit successor sancti Iosephmariae in Opere Dei moderando, cuius erat Praelatus, cum sanctus Ioannes Paulus II eum episcopum ordinavit die 6 ianuarii 1991. Caritas eius pastoralis eluxit in fidelitate erga Deum et indefesso labore, ut Praelaturae opera apostolatus extenderentur in Ecclesiae omniumque animarum servitium. Mortuus est Romae, die 23 martii anno 1994, paucis horis post reditum e peregrinatione in Terram Sanctam.

De Communi pastorum: pro episcopis

Ad Officium lectionis

LECTIO ALTERA

Ex Homiliis beati Alvari del Portillo Diez de Sollano, episcopi

(Homilia, die 7 septembris 1991 habita: *Rendere amabile la verit *, LEV, 1995, pp. 222-225)

Regnare Christum volumus!

Regnare Christum volumus! Hunc in finem contendere imprimis debemus, ut Christus in nosmetipsos regnet: in animam nempe uniuscuiusque nostrum. Hac enim via procedit sanctitas ad quam vocati sumus ante mundi constitutionem, ut audivimus in lectione altera Missae: *eligit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti*. Quae sanctitas – seu potius hoc quaerendae sanctitatis studium – a mundo nos non separat, quia ibi, iterum dico, in labore et requie, in vita familiae et in relationibus socialibus, medium et occasionem compereimus ut intime obviam Domino nostro eamus, nos cum Ipso unum fiamus et alter Christus, immo ipse Christus efficiamur.

Divina iuvante gratia – quae nobis praesertim datur in oratione et in sacramentis Sanctissimae Eucharistiae et Reconciliationis –, praetermittendum nobis non est haec ipsa adiuncta vitae cotidianae esse quoque medium et occasionem conferendi operam, ut alii sanctificentur atque humana societas ad Christi praecpta aedificetur. Percupimus ut civilis societas Christum agnoscat, amet et laudet, ut vere sit digna homine, qui creatus est ad imaginem et similitudinem Dei et Sanguine Verbi Incarnati est redemptus: societatem nempe desideramus Christi lege plene imbutam, quae est quidem *lex perfecta libertatis*, quia lex est non solum iustitiae, sed etiam caritatis et amoris. Solummodo enim civilis cultus forma amore acta, uti iterum iterumque Romani Pontifices docuerunt, humana creatura digna est.

Ut iustitia et Iesu Christi amor amplius usque et impensius universum humanae navitatis ambitum informet, omnino necesse est, ut fides cunctos illuminet intellectus, et veritatis lumen tenebras dissipet in quibus homines saepius versantur, et legis aeternae vigor hominum conscientiam incitet eorumque sese gerendi modum ducat ac demum caritatis balsamum humanam consortionem studio impleat sese invicem intellegendi et observandi. Neque filiis Dei fas est censere cotidianam hanc sollicitudinem ac responsabilitatem ad se non attinere.

Summa quidem est haec missio et meta, ad quam Dominus nos vocat, scilicet ad nos unum cum Christo efficiendos, ut Ipse in mundum regnet et fratres nostri huius futurique aevi cunctis bonis et inenarrabili felicitate ditentur. Si nostris solummodo exiguis viribus inniteremur, ratio utique esset qua persuaderemur id, quod appetimus, esse inanem spem et velut somnium, quod nunquam adipiscemur: homines enim non

sumus miris qualitátibus ditáti vel exémpți ab humána debilitáte. Attamen – si quidem vólumus – poténtia Dei per nostram debilitátem agit. Nostram ergo exerceámus libertátem, sine mora respondétes grátiae, quam Dóminus constánter et superabundánter nobis largítur. Ad hoc – uti probe expérti sumus –, stúdiúm requíritur cotídie ineundórum atque íterum ineundórum vitæ spirituális atque apostolátus p̄celiórum, quæ ad illud p̄tinent *pulchérimum caritátis bellum* – ut verbis utámur sancti Iosephmaríæ – in quo Christi victória triúmphus est humánæ creatúre cunctórum témporum.

RESPONSORIUM

Mt 25, 21. 20

R/. Euge, serve bone et fidélis. Super pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam: * Intra in gáudium Dómini tui (T. P. allelúia).

V/. Dómine, quinque talénta tradidísti mihi, ecce ália quinque superlucrátus sum.

* Intra.

Oratio

Deus Pater misericordiárum, qui beátum episcopum Alvárum sp̄ritu veritátis et dilectiÓNis implevísti, præsta, quæsumus, ut, eius vestígia sectántes, salutíferæ Ecclésiæ missiÓNi nos humíliter impendámus. Per Dóminum.